

Antoni Cobos Fajardo (ed.), Joan Ramon Ferrer, *De pronomibus suiue natura* (1477), Bellaterra, Publicacions de la Universitat Autònoma de Barcelona (Microfitxa), 2000.

TRACTATVS DE PRONOMINE

LIBER PRIMVS

Prohemium.

Fortasse plenius, doctissimi uiri, quam opus esset de *sui suusque* perscripsi, tamen, hac occasione sumpta, de pronomine et eius accidentibus, declinationibus, qualitibus, constructioneque non nulla utilia et paucissima inaudita perstringam.

I. Pronomen quid est.

[1] Pronomen est pars orationis declinabilis pro nomine proprio uniuscuiusque suscepta finitasque personas dinumerans (*cf.* Prisc. 12, 1).

[2] Pronomini sex accidunt: species, genus, numerus, figura, persona, casus (*cf.* Donat. 2, 9).

II. De pronominum accidentibus: de specie et genere.

[1] Species pronominum duae sunt: primitiua et deriuatiua. Primitiua est cum pronomen a nullo trahit originem, ut sunt illa octo pronomina, quae primitiua nominantur, ut *ego, tu, sui, ille, iste, ipse, hic et is*; deriuatiua est quae pronomen ab alio deriuari petit, ut illa septem *meus, tuus, suus, noster, uester, nostras et uestras*. Et haec XV duntaxat sunt pronomina, intelligo tamen de simplicibus, praeter ea nanque aliquae reperiuntur composita, ut *istic et idem* et unum de compositum *identidem*.

[2] Deriuationes autem secundum Donatum (2, 13) sunt huiusmodi: A genitio, quod est *mei* uel *mis* deriuatur *meus, -a, -um* et *meum* aduerbium. A genitio qui est *tui* uel *tis* deriuatur *tuus, -a, -um* et *tuum*. A genitio qui est *sui, suus, -a, -um* et *suum*. A genitio qui *nostrum* uel *nostrum* est, *noster, nostra, nostrum* et *nostras* et *nostratim* uenit. Et a genitio qui est *uestrum* uel *uestri, uester, uestra, uestrum*, et hic et haec *uestras* et *uestratim* proficisci constat. (2) Sciendum autem quod apud antiquos auctores non recolo me huiusmodi legisse aduerbia. Nec Aullum Gellium nec Nonium Marcellum nec Festum Pompeium nec Seruium exposuisse ea, nisi Nonium super *tuatim* (179) dixisse: «*Tuatim, tuo more:*

"Ecce rem iam *tuatim*
facit" (Plaut. *Amph.* 554)».

(3) Sed hoc modo cetera possunt exponi. Nam iuxta *Catholicon Compraesensoriique* sententiam *meum* aduerbium personale est, non tamen ei persona accidit, et enim aduerbiis nec numerus accidit nec persona, licet quaedam sunt numeralia, ut *semel, bis, tria, quater*, et quaedam personalia ut *meum, tuum, suum*, quia non per accidentem sed per significationem numerum et personam habent. (4) De hoc et *meum* Priscianus (12, 24) ait: «*Dic ydionia meum tibi significare meum, usum uel mores dic insinuare, meum*». Vel ut de *tuum* dicas quod et secundum *Catholicon* ac etiam *Compraesorium* aduerbium personale est, et tuo more gentisque patriaeque significat. Et similiter *meum suumque* distinguas. Licet enim *Catholicon suum* non ponat, dicit tamen *Compraesorium*: «*Suum aduerbium, id est suo more, suae gentis uel patriae*». Et quamuis nullus *nostratim uestratimque* exponat, tamen idem dici potest, *nostratim* enim significat more nostro uel nostrae gentis uel patriae. Itidem de *uestratim* comprehendas.

III. De generibus pronominum.

[1] Genera pronominum quinque sunt, ut nominum participiorumque: masculinum, ut *ille* et *meus*, femininum ut *illa* et *mea*, neutrum ut *illud* et *meum*, commune ut *hic* et *haec, nostras, uestras*, omne, ut *ego, tu, sui*.

IV. Pronominum numeri.

[1] Numeri pronominum duo sunt: singularis ut *ego*, pluralis ut *nos*.

V. *Figurae.*

[1] *Figurae* pronominum, ut nominum, tres sunt: simplex, ut sunt omnia quindecim pronomina praelibata; composita ut *ecum*, de *ecce* et *eum*, quasi *ecce eum*, et per usum declinatur accusatio *ecum*, *eccam* et plurali accusatio *eccos*, *eccas*, id est *ecce eos*, *eas*; et *ellum* ab *ecce* et *illum*, id est *ecce illum*, et declinatur ita accusatio *ellum*, *ellam*, et plurali accusatio *ellos*, *ellas*, id est *ecce illos*, *illas*, ut *Catholicon* in *ecum* et *ellum* attestatur; et etiam componuntur *illic*, *istic*, et *idem*. (2) *Illic* uero et *istic* ex *ille* uel *iste* et *hic* componuntur, sed haec compositio duntaxat per eos casus qui, datiuo dempto, in *-c-* desinunt, locum habet, id est per nominatiuum, accusatiuum, ablatiuumque singularem et nominatiuum, accusatiuumque pluralem, sed in neutro genere, cum hic tantum *-c-* reperiatur in fine. Ideo declinetur nominatiuo *illic*, *illaec*, *illoc*, accusatio *illunc*, *illanc*, *illoc*, ablatiuo *ab illoc*, *illac*, *illoc*, et pluraliter nominatiuo *illaec*, accusatio *illaec*. (3) *Illic* autem idem est quod *hic ille*, et eodem modo *istic*, quod *hic iste* significat, declinari debet. Quidam tamen haec magis per metaplasum finis quam per compositionem proferri putarunt. Et hoc eo, quod ipsa aspirationem non recipiant, quam seruant composita, ut aduerbia *adhuc* *abhinc* ostendunt; primam autem opinionem ueriores putant. Haec Prisciani auctoritate in XII (12, 22), Petrique Heliae et aliorum ibi scribentium confirmari possunt. (4) Vnde Nicolaus Perottus in suo libro *De grammatica*, capitulo *De pronomine*, uersiculo *Cum quot partibus* (fol. e8u), quaerit: «Cum quot partibus orationis componuntur pronomina? Cum quattuor: cum nominibus, ut *huiusmodi* *eiusmodi*, *istiusmodi*; cum pronomibus, ut *istic*, *meme*, *tete*, *sese*; cum aduerbiis, *ecum*, *eccam*, *eccos*, *eccas*; cum praepositione ut *mecum*, *tecum*, *secum*, *nobiscum*, *uobiscum*». Sed hoc ultimo a Prisciano (12, 6) damnatur. Vide infra, § *Nec mecum*, *tecum*, carta 64 (1, 12, 2).

VI. *De aduerbiis a pronomibus compositis profluentibus.*

[1] Enimvero ex *illic* *istic*que pronomibus compositis aduerbia *illic*, *istic*, *illinc*, *istinc*, *illac*, *istac*, *illuc*, *istuc*que descendunt, ut ab *hic*, *ille*, *iste* isque simplicibus *hic*, *hinc*, *huc*, *hac*, *illó*, *istó*, *eó*. Longa tamen inter haec omnia est differentia. Vt enim in pronomibus de me membrisque rebusque meis et loco ubi sum, et de homine reque mihi proxima loquens debeo per *hic* dicere: *hic oculus*, *haec manus*, *hoc mancipium*, *hic locus*, *haec ciuitas*, *hoc castellum*; et de te audiente membrisque rebusque tuis et loco ubi sum, mihi per *iste* sit dicendum: *iste oculus*, *ista manus* et cetera; de tertia uero persona reue a me teque longinqua dicam *ille oculus*, *illa manus* et cetera. (2) Sic de praedictis aduerbiis est dicendum, ut de ciuitate ubi agam mihiue propinqua mentionem faciens, *hic*, *hinc*, *hac* *huc*que utar; et de loco tuo tibiue proximo loquens *istic*, *istinc*, *istac*, *istuc*; de tertio uero seu a loquente audienteque remoto *illic*, *illinc*, *illac*, *illuc*, ut *hic quaesco*, *sed hinc mox abibo*, *licet hac rex traditurus sit*, *tuque huc uenturus*, *qui istic degis oppipere*, *sed caueas ne istinc ueniens regi obuius istuc accedenti*, *qui istac praeteriens ibit illuc*, *ubi caput est regni illicque fures homicidasque reperiet*, *qui illinc aufugient*, *sed ad locum celebrem non accedent*, *si rex illac fuerit transiturus*. (3) Ergo si Barcinonae morans ad aliquos Ilerdae agentes de Gerunda fecero mentionem, de Barcinona loquens teneor dicere *in hac ciuitate uel hic bene uiuitur*, *hinc abibo*, *hac transitus est celeberrimus*, *huc propere ueniatis*. De Ilerda uero *in ciuitate ista uel istic pestis abest*, *istuc ibo*, *quare nolitis istinc recedere*, *quousque istac transiera*. De Gerunda uero, *in ciuitate illa uel illic quoque aer est incolumis*, *hinc et illuc potest accedi*, *nec illinc recedet episcopus*, *donec uos hac illacque meaueritis*. (4) Nam et apud *Alfonsinam* Seruius attestatur: «*Istinc* et *istic* ad personam refertur audientem, Virgilius in V^o *Aeneidos* (6, 389):

"Iam istinc et comprime gressum",

id est, abi a loco in quo es. Seruius Sulpicius in epistula ad Ciceronem (Cic. *Fam.* 6, 5): "Qui si istic affuissem", id est Romae, ubi tu es». (5) Non nunquam tamen *iste* pro *hic* accipitur, ut Cicero V^o *Ad Herennium* multis in locis ponit.

[2] Itemque *ille* quandoque, ut et *ipse*, dignitatem quandam eminentiamque significat, id indicans esse quod omnes nosse deberent, ut *ille Christus*, *ipsa Maria dei mater dignissima*. Et in his omnibus Laurentius Vallensis *De elegantis*, libro II, capitulo IV, locuples testis est, et ego breuiter refero in meo *Elegantiarum breuiario*, eodem libro et capitulo.

[3] Haec omnia Nicolaus Perottus in sua *Grammatica*, capitulo *De relatiuis* (fol. k5r.), confirmat hoc modo: «*Hic*, *haec*, *hoc*, *iste*, *ista*, *istud*, *ille*, *illa*, *illud*, quomodo different? *Hic* significat hominem uel rem proximam loquenti, *iste* proximam audienti, *ille* remotam ab utroque, quemadmodum et aduerbia

eorum: *hic* significat locum proximum loquenti uel scribenti; *istic* locum proximum audienti uel ei ad quem sermo aut litterae diriguntur; *illic* locum remotum ab utroque. (2) *Iste* tamen aliquando ponitur pro *hic*, Cicero (Phil 2, 8, 4): "Cum isto tempore stent cum gladiis armati". *Ille* quoque non nunquam per dignitatem quandam accipitur, indicans esse quod omnes nosse debeant, ut *Alexander ille magnus, Archias ille Tarentinus.*»

[4] *Hic* autem et *is* illam habent differentiam quam Priscianus XII maiore (12, 2) inter *iste* illaque apposuit, ut *hic* propinquiora demonstrat, *is* ad longiora referatur. In relatione autem mutua habent contumeliam, ut *qui diuiciis uirtutem praeponit, hic bonus et laude dignissimus est habendus*, uel *qui uirtutem amat, is regnum dei possidebit*. Nec pro *is* ponamus *ille*, cum hoc poetis modo liceat. De hoc Laurentium Vallensem, libro 2^o, capitulo III, V^oque perspicias, id quod plenius cum multis additamentis in meo *Elegantiarum breuiario* reperitur.

[5] Nec praetermittendum est quod huiusmodi aduerbia ex pronomibus nominibusque similem declinationem habentibus, ut *nequo, alio* uenientia in fine acuuntur, nunc propter coincidentiam ad pronomina uel nomina remouendam, ut in *illá, istó, eóque* et *aliquó alióque* aduerbiis ad ablatiuorum pronominum nominumque differentiam, ut et *falsó* aduerbialiter positum *ergó* pro *causa, circúm* *ponéque* postpositae, ut *maria circúm* uel *poné*. (2) Nam praepositae per omnes grauantur syllabas, ut *circum* uel *pone maria*. sicut et *sine*. Praepositio praeposita omnino grauantur, postposita uero penultimam moderatur, Virgilius II^o *Georgicorum* (3, 42):

«Te sine nil altum mens inchoat».

(3) Sed et *circúm* et *poné* aduerbialiter posita finales syllabas acuunt, ut et *putá, uná, aliás*, nunc per concisionem, ut in *illíc, istíc*, cum antiquitus *illice* et *istice* diceretur. Non secus quam in *nostrás, uestrás* et *Quirís*, cum antiqui *nostratis, uestratis Quiritisque* proferrent. (4) Nam et in *Virgili Mercuri*que similibusque uocatiuis secundum antiquissimos apocopatis, qui *Virgilie* et *Mercurie* dicerent, accentus in penultima retinetur, licet breuis sit, cum in ea dum uocatiui integri forent antiquissimi retinerent. (5) Haec omnia ad accentum spectantia per Priscianum III^o, VII^o, VIII^o, XII^o, quarto decimo XV^oque maioris (4, 21; 7, 18; 12, 17; 8, 5; 14 49; 14, 21) et Petrum Heliae super his libris primoque maioris, ubi et de accentu *poné* dicit, et per *Doctrinale*, XI^o capitulo (9, 2.301), et per Aegidium in libro II^o *De accentu*, capitulo III^o, ubi de impedimentis accentus docet, et per *Catholicon* in secunda parte sui operis, scilicet *De prosodia*, capitulo *De impedimentis accentus* § *Conclusio* et § *Causa differentiae* (2, 26), confirmatur.

VII. De pronominis compositis.

[1] De hoc satis sit. Ad composita pronomina de quibus agitur redeamus. *Idem* ergo de *is* demumque componitur, ubi utrunque componens per apocopam corrumpuntur, *isque iterum* significat, cuius femininum *-e eadem idemque* neutrum, sed *-i* in masculino producitur et in neutro corripitur. (2) Et quemadmodum in *is, ea, id, ii* et *iis* in nominatiuo, datiuo ablatiuoque pluralibus per duo *-ii-* scribi et per unum proferri debent, sic in *idem* composito ut *iidem iisdem* cum duplicato *-i-* scribitur licet et cum unico *-i-* *idem* uel in plurali et *isdem* sit inuentum et haec pro *eidem, eisdem*. Iuuenalis in secunda *Satyrarum* (14, 30):

«Implet et ad moechos dat eisdem ferre cinaedis.»

Nam et hoc in *dii* et *diis* pro *dei deisque* legatur. (3) Haec autem *-i-* geminatio causa differentiae est seruata, ne si *i* et *is* et *di* *disque* dicatur, significationis sit dubitatio, quippe cum *i* et *is* uerba sint, *di* uero est praepositio, *dis* autem et nomen et praepositio. Solent autem auctores etiam per synaeresim unam *-i-* pro duabus ponere, ut Virgilius primo *Aeneidos* (1, 221-222):

«Et crudelia secum
fata Lici»,

pro *Licii*, et

«Ille urbem Pataui (*Aen.* 1, 247)»,

pro *Patauii*; Iuuenalis in 3^o (10, 123):

«Antoni gladios contemnere possit»,

pro *Antonii*; item Virgilius in *Bucolicis*, in prima *Ecloga* (1, 32):

«Nec spes libertatis erat, nec cura peculi»,

pro *peculii*. (4) De his per Priscianum in VII^o et XII^o, carta V^a (7, 15; 12, 33), qui praeter multa alia praeclara in eo dicit VII^o: «In pluribus autem inuenis differentiae causa huiusmodi quasdam fieri syllabarum uel litterarum additiones uel ademptiones uel accentuum mutationes. Itaque in compositione *idem* et *isdem* per unam *-i-* scripsisse (quia nulla confusio sit significationis) antiqui inueniuntur pro *eidem* et *eisdem*. (5) Et in dicti XII fine dicit: «Cum igitur duo in pronomine quoque, quomodo in nomine, sint numeri, singularis et pluralis, sunt quaedam numero communia, ut *idem*, dicimus enim *idem uir* et *idem uiri*» (6) Et super his libris Petrus Heliae (Reilly 427-ss. 625-ss.) et alii scribentes uideantur, *Doctrinale* in XI capitulo (11, 2.306):

«*Hi* profers et *di*, tamen *-i-* debet dupla scribi».

Et *Catholicon* in *idem* et *is*, ubi etiam scribit quod *ii* et *iis* de *is*, *ea*, *id*, per duo *-ii-* sine *-h-* scribi debent. Et *cae* quoque per duo *-e-*. *Hi* uero, *hae* et *his*, de *hic*, *haec*, *hoc* per unum *-i-*, et *hae* aspiratione praeposita. (7) Ioannes Tortellus Aretinus in *hic*, super dictionibus latinis aspiratis, dicit nobiliter: «*Hic* siue pronomen sit siue aduerbium semper aspiratur, ad quorum diferentiam significandam quidam ueterum in marmoribus compluribus legi solebant aduerbium scribere diphthongo Graeca *heic*, id ratione, nam aduerbium semper producitur. (8) Pronomen uero non nunquam corripitur, ut apud Virgilium, libro III^o (*Aen.* 4, 22):

"Vnus hic inflexit sensus"

quin et pronomen illud *idem* differentiam similem detinet, quia cum masculinum est, primam producit, ut Iuuenalis in satyra *Omnibus in terris* (10, 159):

"Exitus ergo qui est? o gloria! uincitur *idem*",

nam de Hannibale loquitur. (9) Cum uero neutrum, semper illam corripit, datius autem siue ablatius pluralis facit *eisdem* uel *iisdem*, cum duplicato *-i-* uel *isdem* cum unico utrunque bene scribitur, sed in significatione unico *-i-* semper utimur, sicut *Virgili*, *Antonii*, *dii* et *diis*, *ii* et *iis*, Iuuenalis in satyra *Omnibus in terris* (10, 174-76):

"Et quicquid Graecia mendax
audet in historia constratum classibus *isdem*
suppositumque rotis solidum mare";

(10) nam non patitur hoc uersus *eisdem* quod tamen alibi posuit, ut in satyra *Credo pudiciam* (14, 30):

"Dat *eisdem* ferre cinaedis".

(11) Idem Priscianus primo minoris, ubi de articulis, in § *Articulus, secundam noticiam* (17, 27) et cetera, ad significationem compositionemque huius pronominis compositi *idem* declarandam, sic notanter ait: «Vnum solum pronomen compositum inuenitur apud nos, hoc est *idem*, quod eiusdem personae secundam noticiam significat». (12) Et «Apud nos una pars est composita de *is* et *demum* per apocopen, quomodo *exin* pro *exinde* et *dein* pro *deinde*».

[2] Idem in XII^o maioris (12, 21) hoc apertius explicat inquit: «*Is* uero cum aduerbio *demum* compositum facit *idem*, quod significat *is demum*, ex quibus componitur, hoc est iterum *is*, eius femininum est *eadem*, neutrum *idem*, *-i-* correpta, quae in masculino producitur. Virgilius in III^o (*Aen.* 4, 679):

"*Idem* ambas ferro dolor atque eadem ora tulisset";

(2) Iuuenalis in primo (4, 11-12):

"Et tamen alter
si fecisset *idem* caderet sub iudice morum";

in neutro tamen praeterea geminatur compositio, dicimus enim *identidem* cuius obliqui deficiunt casus».

[3] Petrus Heliae in XII (Reilly 670). super *idem* ex *is demum*que composito Prisciani dicta confirmat et addit: «Et sciendum quod *is* proprie primam relationem facit, *idem* secundam, ut *Virgilius scripsit Bucolica, is Georgica, idem Aeneida*. Et *idem* in neutro ponitur pro aduerbio *similiter* uel *saepe*». (2) Haec tamen secunda relatio potius apud maximos elegantissimosque auctores per *is* repetitum uel *ipse* uel *ille, ipsi is* subiunctum uel repetitum quoque quam per *idem* fieri comperitur, id quod nouum in praeceptis et fortasse inauditum est, et infra per multa exempla comprobabo.

VIII. De idem.

[1] Iccirco forte Laurentius Vallensis *De elegantis* libro II^o, capitulo V^o, de *idem* dicit hoc modo: «*Idem* quod est ab *is* compositum, quasi pro *etiam* poni solet, ut Cicero (*Off.* 1, 8, 20): "Et huic coniuncta beneficentia quam eandem uel benignitatem uel liberalitatem appellari licet", id est *quam etiam*. (2) In hoc pronomine *idem* annotaui quiddam disimile ab *is*, ibi potest addi copulatiua, hic non potest; quod tamen affirmare non ausim, ut *quancunque in sedem migrat apium rex, in eam et apes ipsae comitantur*. At si dicam *in eandem* tollam copulatiuam sic: *in eandem apes ipsae comitantur*. Nam *idem* habet in se uelut uim copulatiuae». Et haec quoque reperietis in meo *Elegantiarum breuiario*, libro II^o, capitulo V^o.

[2] Insuper *hoc* et *haec* composita cum praepositione *ad* significant *praeterea*, ut *ad hoc* et *ad haec*; de *ad hoc* in dictis libris, secundis quintisque capitulis, in fine est adiectum.

IX. De hinc et huc compositis cum praepositionibus.

[1] Tandem *hinc* et *huc* aduerbia localia ab *hic* pronomine descendunt cum *ab*, *ad*, *de* et *ex*, componuntur, puta *hinc*, cum *ab*, *de* et *ex*, ut *abhinc*, *dehinc*, *exhinc*; et *huc* cum *ad*, ut *adhuc*, et haec proprie aduerbia sunt localia, improprie temporalia, et tria priora ordinem quandoque notant. Nam et Nonius Marcellus (?) ait: «*Deinde* ex praepositione et loci significatione, ut *exinde*, *proinde*, *subinde*, quae item tempus significant.» (2) *Deinceps* secundum *Catholicon*: «Ab *hodie* in *antea* aduerbium temporis et ordinis est, et definit in *-ps*, et, ut dicit Hugutio: "Componitur a *de* et *incepto* et dicit quod penultima acuitur, sicut *delonge*, *abintus*", et hunc sequor, *deinde* antepenultimam acuit. (3) Vide in *inde*, ubi dicit: "*Inde* aduerbium deriuatur ab *in* et componitur *deinde*, *exinde*, *perinde*, *proinde*, *subinde*, aduerbia sunt loci uel ordinis, *perinde* aduerbium similitudinis uel qualitatis, id est *taliter*; *proinde* est coniunctio illatiua, id est *igitur*, inuenitur tamen quandoque aduerbium loci uel ordinis. Et ista quandoque apocopantur, *dein*, *exin*, *proin*, *subin* pro *deinde*, *exinde*, et cetera". (4) Et scias quod omnia composita ab *inde* debent acuire antepenultimam iuxta regulam illam: si aliqua praepositio componitur cum aduerbio habente penultimam longam, ipsa penultima debet acui, ut *alonge*, *delonge*, *deinceps*, excepto uno solo aduerbio, scilicet *inde*, quod, si componatur cum praepositione, ipsa antepenultima acuenda est, ut *exinde*, *deinde* et cetera, ita dicit Hugutio». (5) Aegidius uero in libro *De accentu*, capitulo XXVII, *Doctrinale* (cf. *Doctr.* 11, 2.322) usumque sequens, non modo in compositis ab *inde* et *quando*, ubi Priscianus (14, 20) aperte, Hugutio *Catholicon*que concordant, sed et in compositis a *longe*, *intus*, *inceps* orsumque, decidit antepenultimam acuendam esse et consulit ita simpliciter esse proferendum, praesertim cum *Doctrinale* id scribat expresse ususque obseruet, qui non nunquam praeualet ipsi arti, dicit tamen quod sententia Hugutionis tenentis omnia talia praeter composita ab *inde* et *quando* in penultima acuenda esse magis est auctentica. (6) Enimvero licet Hugutio satis bene suam opinionem probet, quae Petro Heliae super XIII^o maioris adiuuatur, tamen usus habet contrarium, et hodie *Doctrinalis* (11, 2.324) munit auctoritas, cuius auctor forte propter usum ad sic scribendum uenit. (7) Ideo ipsum usum suadeo esse tenendum et enim, ut et ipse Petrus Heliae super eo XIII^o (Reilly 733) scribit, id quod saepe dixit: «Analogia scienda est, usus uero sequendus, magister enim locutionis est, et inter insanos doctum uideri uelle quaedam species est furoris».

X. De -met.

[1] *-Met* autem *-te*, *-pte* et *-ce* magis per porrectionem uel assumptionem quam per compositionem pronomibus adiunguntur, ut *egomet*, *tute*, *meapte*, *huiusce* (cf. *Prisc.* 12, 23). Et *-met* omnibus quidem primae personae casibus additur: *egomet*, *meimet*, *mihimet*, *memet*, obliquis uero secundae personae solis *tuiet*, *tibimet*. Statius in VIII^o (*Silv.* 9, 67):

«Cum tibimet scepra et proprios laturus honores».

(2) *Met* autem nominatio non additur propter coincidentiam de *tumet*, tertia persona uerbi *tumeo*, remouendam. Itaque *-te* breuem syllabam uel *temet* pro *-met* nominatio solent auctores adiacere. Lucretius in I^o (1, 269):

«Accipe praeterea, quae corpora tute necesse est».

Idem in eodem (1, 102):

«Tutemet a nobis iam quouis tempore natum»;

Ennius (*Ann.* 1, 151):

«O Tite tute tate tibi tanta tyranne tulisti»;

(3) unde nec in alio casu hanc syllabae *-te-* adiectionem reperies. Insuper absque genitio alii numeri pluralis casibus *-met* adiungitur: *nosmet, nobismet, uosmet, uobismet*; praeterea triptoto personae tertiae, id est *suimet, sibimet, semet*.

XI. De *-pte*.

[1] *-Pte* quoque trium pronominum possessiuorum ablatiuum asciscit, *meapte, tuapte, suapte* (cf. Prisc. 12, 24). Animaduertendum tamen quod *-met* et *-te* *-pte*que pronominibus antedictis plerunque discretionis causa significantiae adduntur, ut Terentius in *Adelphis* (628):

«Egomet rapui»,

intelligis enim ego et non alius; Cicero *Pro Murena* (36, 77): «Quid quod cunque admonueris tamen quasi tute noris, ita salutas», *tute* dixit pro *tu ipse*, per te et non per alium. (2) Ideo discretionis causa plerunque dixi, nam quandoque causa significantiae, id est maioris significationis, apponuntur, id est ut res designetur expressius, ut *egomet feci*, id est ego qui tantae dignitatis sum. Nec de *tete* utraque producta fieri potest obiectio, licet in *tute* ultima breuietur, nam accusatiue uel ablatiuue geminatus est, quod et in prima et tertia fieri persona solet, ut *meme, sese* composita uero accentu penultima moderato esse putantur. (3) Re uera tamen per *episeusim* est ibi eiusdem uerbi significantis idem geminatio, ut *Doctrinale* XII^o capitulo (12, 2.472), et *Catholicon* in 4^a parte sui operis (4, 97) attestantur, licet Laurentius Vallensis, libro II^o, capitulo 2^o dicat: «Haec tria pronomina, *meme, tete, sese*, etiam geminari solent, priora quidem *meme, tete* per figuram, tertium *sese* sine figura», quod etiam in meo *Elegantiarum breuiario* refero.

XII. De *-ce*.

[1] *Ce* uel per omnes casus articularibus quidem uel demonstratiuis pronominibus, id est ab aspiratione incipientibus, uetustissimi solebant adicere, ut *hicce, haecce, hocce*, et sic bis *-c-* scriptum in codicibus antiquissimis inuenitur (cf. Prisc. 12, 25), ut et apud Terentium in *Andria* (625):

«Hocinae est credibile aut memorabile».

(2) Cum enim haec syllaba *-æ* huic pronomini *hoc* adderetur, ut *hocce* diceretur, *-e* subtracta per apocopam, *-c-* ultimae syllabae cum *-c-* syllabae praecedentis remanebat, ut *hoc* modo *hocc* scriptum esset, et sic positura fieret productio, cum *hoc* natura breue foret. (3) Sunt tamen qui *hocce* integre scriptum uelint, sed falluntur, cum et apud Terentium *hocinae* sit repertum, quod ex *hocce* et *-nae*, *-e* in *-i* breuem permutata, uidetur esse compositum. (4) *Hicce* uero ex hoc pronomine *hic* et ex hac syllaba *-ce* per adiectionem constat. Sunt qui putant totum hoc, scilicet *-cine* huic pronomini *hic* adiungi *hiccinae*que debere proferri. (5) Tu potius dicas *hicce* debere dici, et si *hiccine* diceretur, ut in *hocinae*, *-e* in *-i* conuersa et addito *nae* aduerbio diphthongato, sed breui interrogatio uel pro *certe ualdae*, uel *ne* pro *an* enclitica coniunctione sine compositione credatur. (6) Enimuero licet antiquissimi hac adiectione *-ce*, ut antedictum fuit, uterentur, tamen his postea succedentes recentioresque auctores, quos nos possumus imitari, eorundem pronominum solis his casibus qui in *-s* desinunt, euphoniae causa, cum male *hicce, haecce, hocce, huicce, huncce, hancce, horunce, harunce*, *-m-* in *-n-* mutata, consequente *-c-*, *-ce*, sed et frequenter addiderunt: *huiusce, hysce, hosce, hasce*. (7) Nec modo poetae sed et oratores adiectionibus his utuntur, Cicero *Inuentiarum* II^o (*Cat.* 2, 10, 21): «Hosce ego non tam milites acres quam inficiatores esse arbitror.» Inueniuntur tamen antiqui etiam nominatiuum pluralem *hysce* per euphoniae interposita *-s* proferre, Terentius in *Eunucho* (260-270):

«Hysce hoc munere arbitrantur
suam Thaidem esse».

(8) Haec igitur, puta *-met, -te, -pte, -ce*, syllabicas adiectiones esse et compositionem non facere sensus ipse demonstrat, qui nullus in his seiunctis inueniri potest, nullum nanque uel ex corruptis compositum separatur, quin haec eadem corrupta ab integris esse pandat, ut *expers* et *expes* ab *ex* praepositione et *pars* et *spes, efficio* ab *ex* et *facio, idem* ab *is* et *demum*. (9) Igitur *egomet, tute, suapte, huiusce* composita minime sunt dicenda, additio nanque seiuncta nil per se significare potest. Nam syllabica adiectio speciem sed non figuram mutat, nihil enim animo intelligibile repraesentat licet aliquatenus alteret dictinonis officium. (10) Quae uero de his syllabicis adiectionibus disseruimus, Prisciani Petriue Heliae aliorumque

commentatorum auctoritate in XII et XIII primoque minoris (12, 23; 17, 104) ac etiam *Catholicon* in tertia parte sui operis, ubi de nominis figura docet, et in capitulo *De syllabicis adiectionibus* in fine roborantur. (11) Vnde et primo minoris, circa medium, uersiculo *Quomodo tamen*, sic eleganter ait: «Quomodo tamen apud Graecos additur *-tay* quibusdam pronomibus ad uim significationis applicandam, sic etiam apud nos *-met, -pte, -te, -ce* addita intendunt significantiam, ut *egomet, tutemet, tute, meapte, nostrapte, uestrapte, huiusce*, de quibus cum de pronomine tractabamus, latius diximus». (12) Et infra: «Saepe tamen in reciprocationibus solemus uti pronomibus assumptibus syllabas quibus discretionis quoque causa utimur, ut *mihimet inuideo, tibimet nocet, sibimet nocet*, et cetera.

[2] Nec *mecum, tecum, secum, nobiscum, uobiscum* aduerbia sunt ex pronomibus praepositionibusque composita, ut Donato (*Gramm.* 2, 13) uidebatur: «Nulla nanque praepositio per compositionem pronomini adiungi potest.» Itaque obliquis eius casibus per appositionem solam praeponeitur. Ideo ea non sunt accipienda composita, sicut *necquicum, quocum, quacum, quibuscum* et similia, ut Prisciano placet primo minoris, § *Pronominum*, uersiculo *Nulla*. (2) Hoc Petrus Heliae XII (Reilly 677) maioris circa finem confirmat et declarat. Dicit enim quod in his et similibus duae partes sint, id est praepositio prolata cum nominis uel pro nominis ablatiuo per *anastrophe*, id est per recti ordinis conuersionem, *ana* nanque *rectum, strophe* dicitur *conuersio*, rectus enim exigebat ordo, ut *cum me* diceretur. (3) Sed quoniam si *cum nobis* proferretur, obscena esset prolatio, hoc autem ideo quod, ut aiunt, primae prolationis partes, scilicet *cunno*, ad mulierum pudenda pertinerent. Iccirco propter *cacephaton*, id est obscenam prolationem uitandam, facta sit *anastrophe*, ut scilicet *nobiscum* proferatur. (4) Cum autem hac ratione in uno fieret et una omnium esset regula, in omnibus aliis et *anastrophe* facta est, ut *mecum, tecum, secum, uobiscum*que dicatur, fortasse dici potest quod in hoc esset obscenitatis, quod *-m-* ante *-n-* turpiter sonet, si in syllabis diuersis sint, quamuis hoc non semper fugiatur. (5) Dicimus enim *cum nobilibus*. Sciendum autem quod in his pronomibus *mecum, tecum, secum, nobiscum, uobiscum*, haec praepositio *cum* grauatur, ac si cum praecedentibus pronomibus esset una dictio, licet acuenda esset, breuis enim est monosyllaba, quippecum et praeposita grauaretur. (6) Et accentum super ultimam syllabam praecedentium ablatiuorum ponit, et *cum* ad se uidetur inclinare, ita quod licet in monosyllabis, scilicet *me, te, se* uere non inclinet, cum in se suum accentum retineant, ut in *duxque, uirue, estne sic agendum?* Tamen et in his enclitice utitur officio, inclinatur enim quoque, id est grauatur cum acuenda foret, ut postposita faciat, quod fecisset facitque praeposita. (7) Huic autem ablatiuo *nobis* causa eufoniae cacephati uitandi postponitur, aliis autem causa consortii. Si uero aliis ablatiuus postponatur, acuitur ut *quicum, quocum, quibuscum*. Nam et praeponi potest, ut *cum qui, cum quo, cum quibus* (8) His omnibus Priscianus XII XIIIque maioris primoque minoris et Petrus Heliae super XII, et *Catholicon* in secunda parte *De impedimentis accentus*, § *Enclisis, id est inclinatio, mutat naturalem accentum*, testes summae grauitatis sunt. De his Nicolaus Perottus, carta 117 (fol. m6u) disserit.

XIII. De hoc est et id est.

[1] *Hoc est* et *id est* non sunt coniunctiones compositae expositiuae, ut quidam putarunt, siquidem nomina cum uerbis, excepto nominatiuo uocatiuoque per casus componuntur omnes, ut *Marcus, hoc est Tullius*, et *Marcus, id est Tullius* (cf. Prisc. 12, 21). Nec talis coniunctionum species inuenitur. (2) Ideo orationes expositiuae dicamus esse, et illud pronomen *hoc* demonstratiue et hoc pronomen *id* relatiue existit et termini praecedentis intellectum, non suppositum respicit, et ideo in neutro genere numeroque singulari assumitur.

[2] De compositis pronomibus satis diximus, ad decompositam figuram transeuntes disserimus *itidem* et *identidem* decompositae esse figurae, cum *idem* compositum in neutro geminetur, ubi euphoniae causa in *itidem -d-* mutatur in *-t-* cum de *idem et idem* fiat compositio, et in *identidem -t-* interponitur, et primum *-m-* in *-n-* propter *-t-* subsequens conuertitur. (2) Dicimus enim *identidem*, id est *idem et idem*, cuius casus obliqui deficiunt, ut in his Priscianus in XII (12, 22) et ibi scribentes et *Catholicon* in prima parte et in quinta, in uerbo *idem*, testes sunt egregii. De *identidem itidem*que aduerbiis dicetur inferius.

XIV. De persona.

[1] Tempestiuum est ut iam de pronominis persona disputetur. Quot modis autem persona dicatur, ut et alia partium orationis accidentia et quod ununquodque sit. Petrus Heliae et commentatores alii Prisciani (12, 9) *Catholicon*que declarant: «Personae pronominum tres sunt: prima, ut *ego*; secunda, ut *tu*; tertia, ut *ille*; et plurali prima, ut *nos*, secunda, ut *uos*, tertia, ut *illi*.» (2) Primaque est quae de se ipsa loquitur, secunda ad quam sermo dirigitur, tertia est de qua inter primam et secundam sermo fit. Si forte quispiam quaereret cur prima quidem secundaque persona singula pronomina habeant, tertiam uero diuersae uoces expriment, respondi potest quod ideo persona prima et secunda diuersis uocibus non egent, quia semper inter se praesentes sunt seque demonstrant. Tertia uero persona modo demonstratiua est, ut *hic*, *iste*, modo relatiua, ut *is*, *ipse*, modo praesens uel iuxta, ut *iste*, modo absens uel longe posita, ut *ille*, modo reciproce uel retransitiue relatiua, ut *sui*. *Si enim supra omnes alias orationis partes pronomem personas finit, perfecte tertiarum quoque personarum distincte profertur differentia.* (4) *Quae plurimas diuersitates habet tertia persona, quae est sui, sibi, se, a se, genera numerosque confundit.* Nec mirum, cum enim relatiua sit, possumus ex antecedenti cognitione scire ad quod genus uel numerum referatur. Quod in genere facit ipsa primae secundaque personae demonstratio, et utriusque praesentia. (5) Nec dubites in eo, quod prima secundaque persona neutrum genus habeat, licet naturaliter sermo inter mares exerceatur et feminas. Nam et hominum nomina neutri generis inueniri possunt, ut in maribus *hoc Hesion*, *hoc Heliconium*, quomodo et in feminis *hoc Glycerium*, *hoc Dortium*. (6) Deinde ad res quae non habent loquendi audiendique naturam, licet generis neutri sint, ut in *caelo*, *mari*, *solo*, *foro* *theatro*que perspicitur, per prosopopoeiam,¹ id est conformationem possumus personas primas secundasque adiungere.

XV. De persona: de extrinsecus et intrinsecus.

[1] Sciendum autem omnia nomina pronomina et participia tertiarum personarum esse praeter *ego*, quod est primae, et *tu* cum uocatiuis omnibus secundae et ea pronomina, quae ab *ego* *tu*que procedunt, quae intrinsecus, id est finite determinateque, seu ex prolationeque sui sine aliquo coniuncto exterius per sui principium possessorem significando aperte sunt primae secundaeque personae. (2) Tertiae uero extrinsecus, id est infinite indeterminateque seu per finem suum cupiendo sibi, quid extra adiungi ad infinitatis determinationem. Cum enim dico *meus*, cuius sit aliquid seu quid mei sit, intelligo ergo, diffinite, possessorem demonstro. (3) Ceterum adhuc quantum ad possessionem pendet, exigit ergo ut aliquid extra ueluti possessio copuletur. Indefinita uero est possessio donec *filius* uel *equus* uel quippiam tale sit adiectum. (4) Nam et Priscianus dicit in XII^o (12, 19), ubi de VII pronominiibus deriuatiuis docet: «A tertia persona unum *sui*, *suus* et quia primitiuum tam singularis quam pluralis numeri est commune, deriuatum quoque intrinsecus, ex qua parte persona quoque possessoris significatur per genitiuum primitiui, ex quo nascitur, utriusque est numeri commune, ut *suus illius* et *suus illorum*.» (5) In omnibus enim deriuatiuis pronominiibus duae intelliguntur personae, intrinsecus possessoris, extrinsecus possessionis, unde intrinsecus personae in quibus genitiui primitiuorum intelliguntur, sicut dictum est, ex quibus et deriuantur, confundunt genera, quomodo et primitiua eorum, extrinsecus uero distingunt ea pro generibus nominum, quibus adiunguntur, *meus seruus*, *mea ancilla*, *meum mancipium*. (6) De hoc etiam per eundem Priscianum primo minoris (17, 130) explicatur, et

¹ *Glossa: Prosopopoeia* cum *-oe-* diphthongo in penultima scribitur, et ad uerbum dicitur *persona factiua*, nam componitur a *prosopoi*, quod est *persona*, et *poiso facio*. Figura est uel quando inanimatum ad animatum loquitur, ut apud Ouidium in inicio libri ~~in~~ titulo (*Am.* 1, 1): «Vt qui modo Nasonis fueramus, quinque libelli»; uel animatum ad inanimatum, ut Oracius in *Epodo* (17, 30): «Quid amplius o mare et o terra, ardeo», uel quando ad inanimatum ipsum quoque inanimatum loquitur, ut apud eundem in 2^o *Metamorphoseon*: «Terra ad mare loquitur et flumina», unde *Doctrinale* dicit XII^o (2.528): «Personamque nouam formans da prosopopeiam». *Prosopopeia* uero graece est *conformatio* latine, et ideo exponendo dico, id est conformationem». *Conformatio* uero secundum Ciceronem, V^o *Ad Herennium* (4, 66), est cum aliqua quae non adest persona confingitur, quasi adsit, aut cum res muta aut informis fit eloquens et formata, et ei oratio attribuitur ad dignitatem accomodata, aut actio quadam». Et de hoc dico plene infra, libro 3^o, in prima regula, carta 319.

super hoc Petrus Heliae in fine XII (Reilly 681) subiicit: «Addit Priscianus quod possessiua pronomina sic habent in eadem uoce utrunque numerum, ut alterum tantum declinatione determinent, intrinsecus enim, id est possessoris eiusdem numeri sunt, cuius et sua primitiua, ut *noster*, secundum possessorem pluralis est numeri, sicut et *nostrum* genitiuus pluralis, unde sumitur extrinsecus uero, id est respectu possessionis possunt esse tam singularis quam pluralis numeri iuxta qualitatem locutionis uel terminationis.»

[2] Idem Priscianus in eodem XII^o (12, 19) ad dictorum meorum confirmationem et praemissorum dilucidationem subdit: «Illud quoque notandum, quod deriuata pronomina quae sunt VII, alterius sunt intrinsecus generis, hoc est communis trium generum, in quo possessor ostenditur, et alterius extrinsecus, hoc est mobilis, in quo possessio denunciatur, quod terminatione consequenti discernitur, quomodo et numerus, quamuis qualitatem ipsius possessionis non declarant, nisi adiungas nomen. (2) Et sciendum quod intrinsecus proprii loco funguntur, extrinsecus uero magis appellatiui. Nec solum in pronomibus deriuatis, sed etiam in nominibus possessiuis, ut quae a propriis deriuantur, infinite possunt intelligi possessiones, nisi adiectione nominis discernantur, ut *meus filius Thelamonius natus Euandrius ensis*.»

[3] Idem in eodem in fine (12, 33): «Possessiua autem, quemadmodum iam diximus, duplicem significant numerum, et intrinsecus quidem eundem habent, quem primitiua eorum, extrinsecus autem pro terminationis forma singularem et pluralem, *meus, mei, noster, nostri*, unde *suus*, quia et primitiuum eius utriusque est numeri commune, id quoque intrinsecus utriusque est numeri commune tam per singularem quam pluralem declinationem, dicimus enim *suus illius et suus illorum*.»

[4] Petrus Heliae in XII^o (Reilly 639), carta 4^a, super declarationem Prisciani in illis uerbis *quod suus intrinsecus utriusque numeri sit commune* dicit quod «Omne possessiuum possessorem significat intrinsecus, possessionem extrinsecus. Quod, ut totum liquescat, sciendum est quod possessor in arte grammatica dicitur cuius aliquid dicitur esse, possessio autem quid alicuius dicitur esse, siue dominus siue seruus siue quicquid dicatur esse alicuius. (2) Significare autem possessorem est significare cuius est uel esse dicitur. Significare possessionem est significare aliquid eius, si non determinate significatur possessio, ut cum dico *meus*, significo enim quid mei, sed quid sit uel seruus uel equus uel quid aliud non determino. (3) Ideoque sicut per quodlibet aliud possessiuum, ita per *meus* indeterminate significatur, determinate uero significare possessionem nil aliud est quam designare quid alicuius. *Meus* ergo significat possessorem, id est cuius, significat etiam possessionem, id est aliquid eius, significat quoque possessorem simul et possessionem infinite, id est significat cuius aliquid. Cum enim dico *meus* significo aliquid, sed quid non determino, nisi equus uel seruus uel aliquid huius adiectio. (4) Dicebant autem antiqui quod possessiuum significat possessorem intrinsecus, id est per principium, quod est per primam syllabam, quam habet cum genitio *mei*; dicebant quoque quod possessionem significat communem, ut *meus* cum genitio *mei*; dicebant quoque quod possessionem significat extrinsecus, id est per ultimam syllabam per quam differt a genitio primitiui. (5) Et secundum hoc coniungitur nomini uoce eiusdem generis et numeri possessionem determinante, ut *meus seruus*. Quod nos aliter intelligimus, dicimus ergo quod possessiuum significat possessorem intrinsecus ex se et ex sua prolatione sine ullo extrinsecus adiuncto determinate significat cuius, possessionem uero significat extrinsecus, secundum quod aliquid extra sibi adiungi desiderat ad significandum quid alicuius dicatur esse uel sit. 6 Cum enim dico *meus*, cuius significo aliquid, sed pendet adhuc, quantum ad possessionem pertinet, exigit enim aliquid extra sibi adiungi, ut possessio determinetur.»

[5] Idem Petrus Heliae hoc declarat apertius primo minoris (Reilly 987, cf. Prisc. 17, 108-109), post medium, ubi de possessiuorum significatione et constructione tractat, inquires hoc modo: «Omne possessiuum duas personas significat, unam possessoris, alteram possessionis. Et possessoris quidem intrinsecus, id est, determinate, secundum primitiuum. (2) Possessionis uero extrinsecus, id est indeterminate, ut extrinsecus aliquid sit adiungendum ad infinitatis eius determinationem. Nam cum dico *meus*, intelligitur mei, aliquid ergo diffinito ego demonstro pro possessore, possessio uero non diffinita est, donec addatur *filius* uel *equus* uel aliquid tale.»

[6] Licet autem alia persona possessoris et alia rei possessae sit, in diuersisque personis et transitiuis possit intelligi, tamen in tertia simul utraque in diuersis inueniri potest, non autem in prima nec secunda, nisi figurate, ut *meus sum, tuus es*, id est potestatis meae tuaeque. Hoc Priscianus XII^o

maioris (12, 11), carta III^a, et ibi Petrus Heliae, carta VI^a (Reilly 651), plenius disserunt, et ego supra in IIII^a ratione dico.

[7] De his autem personis tribus personaque possessoris possessionisque non modo per Donatum in suis *Regulis* (*Ars Minor* 2) Priscianumque in locis antedictis eiusque commentatores ibi, sed et per *Doctrinale* in fine primi (1, 357-59) reperitur capituli, ubi dicit inter alia:

«Deque tribus primis septem fit origo supremis.
Personas duplices haec significare uidentur;
cum possessore possessio significatur».

De persona satis sit, de casu dicatur.

XVI. Casus.

[1] Casus pronominum sex sunt: nominatiuus, genitiuus, datiuus, accusatiuus, uocatiuus, ablatiuus. *Sui* uero nominatiuum non habet, nec naturaliter habere potest, et omnia pronomina casu uocatio carent, quattuor exceptis, uidelicet, *tu, meus, noster* et *nostras*. Haec Priscianus multis de causis in VIII^o, XII XIIIque maioris primoque minoris, in § *Sui quando est*, et multis in locis circa finem minoris (17, 132-133) et in eis partibus scribentes et *Doctrinale*, capitulo II^o (2, 434) corroborant, et multos pulchros Prisciani textus, supra in prima, secunda tertiaque ratione comperies.